Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26345
Copyright: Admont, Benediktinerstift

quatuor modis fieri solet. Nam aliquando seniores qui pro eo inter-
cesserunt domno abbati ne obliviscatur in capitulo ad memoriam redu-
cunt. aliquando vero contingit ut predictus frater de aliqua parva negli-
gentia reclametur. sicque data occasione tam ab eisdem senioribus quam a ce-
teris fratribus pro illo supplicatur. aliquando autem presente abbate petit veniam
spontanee ut eos oportunius fratres pro eo possint intercedere. aliquando
evenit ut ipse domnus abbas vocet eum ut surgat et in medium
veniat nullo admonente. Quo veniam petente. loquitur ei sen-
tentia et cause et persone. et reddet ei pristinum vel si placet in-
feriorem locum. Cadit ad pedes eius sicut etiam quolibet tam in ecclesia quam
in capitulo si quando eum promoverit ad locum altiorem. Quod si ipse
impeditus id priori commiserit. et ille in capitulo fratribus rem indicaverit.
promotus pedibus eius provolvitur. et quamvis deinceps nullam ab aliis separa-
tionem patiatur. tamen si fuit fratrum confessor. vel ad sacros ordines
promotus. nequaquam his officiis fungitur. nisi ei postmodum pro bone vite meri-
tis a domno abbate concedatur. et si inter seculares de aliquo crimine publi-
catus fuit. nusquam amplius extra claustrum mittitur. nisi tam sancte et iuste
vixerit quod ei deinceps bene credi possit. Quod si in alio loco quam
apud nos tale quid perpetravit. illuc iam amplius non redibit. qualis-
cumque testimonii fuerit. et quantumcumque senex sit. si quando mala in eum
suspicio fratrum fuerit. tamdiu laternam sub custodia portabit. do-
nec per summam humilitatem sanctamque conversationem inde absolvi
meruerit. Hec hactenus de illo qui domno abbate domi consistente
lapsus est in crimen capitale. Qui vero illo longe remoto de tali
culpa inter fratres publicatus fuerit. si sacerdos est. prior eum suspendit
ab officio. ab obedientia quamcumque tunc habet. a corpore domini.
et a ceteris huiusmodi. reliqua differt usque ad abbatis presentiam. Idipsum
observat prior. ad qualibet cellam si tale quid ibi evenerit. et insup-